DECISIONES SACRAE ROTAE ROMANAE

Coram Reuerendiſsimo P. D.

NEAPOLIONE COMITOLO PERVSINO AVDITORE POSTEA PERVSIÆ EPISCOPO.

Cum originalibus ipſius diligenter recognitæ.

ADIECTIS INDICE, SVMMARIIS, ET ADNOTATIONIBVS ad ſingulas ferè Deciſiones.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

PERVSIAE. MDCXLIII.

Ex Typographia Epiſcopali, Apud Angelum Bartolum.

Superiorum Permiſſu.

LECTORI BENEVOLO.

NEAPOLIO COMITOLVS, (grande nomen Sapientiæ, & Religionis; neſcias, vtra luce præfulſerit magis) nobiliſſimo genere clariſſimus, ſplendorem familiæ duxit obſcurum, cui lucem non adderet Virtus. Ex Comitibus de Colle medio in Tudertina Diœceſi vetuſta origo Domus; inde ad Peruſinos traductum decus; ſtetitque inter primates præcipua ſemper armorum, & litterarum gloria. Vix fari per ætatem, vel ingredi cœperat, cum ſigna micuere præcelſæ Indolis & ad magna natæ. Sic pueritia exculta feliciter, & præſeſtinata doctrinæ maturitas miraculo fuit. Illuſtratis ingenij lumine & morum modeſtia Academijs Romana & Patauina, primam mox gratiam retulit Patriæ, biennali legum interpretatione in Auguſto

DECISIONES SACRAE ROTAE ROMANAE

Coram Reuerendiſs. P. D. NEAPOLIONE COMITOLO PERVSINO AVDITORE VIGILANTISSIMO PERVSIÆ EPISCOPO.

Gneſnen. Vnionis
Ven. 29. Maij 1587.

SVMMARIA.

Vnio Parochialis facta Præpoſituræ an probetur ad effectum reſtitutionis ad poſſeſſionem, n. 1. & per tot.

Eccleſiæ nomine agi poteſt remedio poſſeſſorio, etiam ſi Prælatus nunquàm poſſederit, n. 2.

Ordinarius habet facultatem uniendi, n. 3.

Vnio facta ab ordinario tribuit titulum coloratum, ibid.

Titulus coloratus ſufficit in ſpolio, n. 4.

Vnio in poſſeſſorio non eſt plenè iuſtificanda, & ideo non obſtant obiecta contra validitatem illius, n. 5.

Confirmatio Apoſtolica præſtat titulum coloratum, n. 6.

Vnio probatur ex confeſſione partis aduerſæ, etiam quòd dicat reuocatam, n. 7.

Confeſſio partis ſufficit pro titulo colorato, n. 8.

Regula de triennali non ſuffragatur in ſpolio, n. 9.

Regulæ reuocatoriæ Vnionum procedunt, ſi non probetur effectuatio, n. 10.